

ATTO VERCELLENSIS EPISCOPUS.

PROLEGOMENA.

(Ex editione Vercellensi anni 1768, procurante D. Carolo Burontio del Signore.)

EPISTOLA DEDICATORIA.

Optimo principi VICTORI AMEDEO Sabaudiae duci, Carolus BURONTIUS DEL Signore.

Cur ad te usque oculos sustollere auserim, et meum hunc qualemcumque laborem grato animo te excepturum sperarim, Princeps amplissime, res ipsa melius dixerit, quam ego facturus sim.

Attonis Ecclesiae octo ab hinc jam saeculis episcopi Opera, partim a D. Luca D'Acherio in Spicilegio jam edita, lacunis tamen plurimis, hiatibusque lebefactata, partim in archivio nostro capitulari hactenus obscure latentia, in publicum nunc tandem integra, atque ad fidem autographi ubique exacta dum prodeunt, alium certe Mæcenatem exposcere nec debebant nec poterant, quam eum, qui et paterni exempli, et ingenii, et dignitatis causa religionis, morum, ecclesiasticae disciplinae litterarumque fautor, custos et vindex est jure optimo habendus.

Hæc igitur, quæ cum meorum in me collegarum studio et fiducia, tum mea cura lucem vident, consueta benignitate, humanissime Princeps, excipe atque Ecclesiam hanc, meque, et meos omnes, dum tibi regiaeque familiae cuncta a Deo prospera quotidie precamur, in tui clientela servare perge, patrique optimo regi nostro augustissimo summopere commendatos velis.

CAROLUS BURONTIUS DEL Signore LECTORI BENEVOLO.

Attonis Opera publici juris facere cogitantibus nobis operæ pretium videtur nonnulla de auctore deque Operibus ipsis, atque de hac nostra eorum editione breviter præfari.

DE AUCTORE.

I. Attones duos episcopalem Vercellarum cathedram tenuisse, atque hunc nostrum ætate fuisse posteriorem litteris prodiderunt Rossottus in Sylabo, et d'Acherius in Spicilegio: at unius tantummodo memoria apud nos exstat Attonis, scriptis factisque celeberrimi; alterius autem cujusvis, qui hunc, vel præcesserit annis, vel subsecutus sit, nihil in monumentis habemus.

II. A longinqua regione huc advenisse. Attonem

A ex iis colligimus quæ in fine Expositionis Epistolarum D. Pauli perorans ait: *Tu dedisti, ut propter gustum, et suavitatem hujus vitæ, sanctæ Scripturæ, gentem, patriamque relinquerem.* Cæterum sub quo nam cælo natus sit, quæ de gente nobis advectus, haud certo inter scriptores constat, qui ejus mentionem fecerunt. Nam Rossottus mox citatus ab Eporædiæ marchionibus prognatum affirmat, testes appellans probatissimos auctores; quorum tamen nomina siluit, uti et momenta quibus fides illorum testimonio concilietur. D'Acherius præterea in laudato loco, ex Ferdinando Ughello, Attonem Aldegarii filium dicit; sed enim quis Aldegarius fuerit, et ad quam gentem referendus, neuter docet (1). Si quid nos judicamus, a Longobardis Attonem jure

B

(1) Quod alii minoris nominis auctores, qui de rebus Ecclesiae Vercellarum scripserunt, veluti Modena, Corbellinus, Cusanus affirmavere Attonem

scilicet ex advocatorum, vel vicecomitum familia prognatum esse, vix est commemorandum, cum ex nullo gravi monumento ducatur.

aliquo repetere quis posse videtur : nam ex ipsius A testamento, quod num. 10 referemus, patet fratrem ei fuisse Aupertum nomine, et Longobardorum legibus ex natione vixisse : atqui Attonis, Aupertii, hisque similia nomina gentem illam sapiunt : leges tiam, et mores, quibus quis vivit, qua de gente sit, aliquid solent præbere indicium.

III. Illud porro indubitatum est, Attonem Vercellarum episcopum creatum fuisse anno nongentesimo vigesimo quarto, Ragemberto, cui proxime successit, quarto Idus Martii ejusdem anni Papiæ, facto ab Hungaris incendio, e vivis sublato (2).

Sacris infulis eo anno decoratum Attonem Ecclesie nostræ cathedram ascendisse, invicto sunt argumento, autographa instrumenta donationis (3), qua eadem hanc Ecclesiam cumulavit, consignata anno incarnationis Dominicæ nongentissimo quadragesimo quinto, pontificatus autem Attonis vicesimo primo. Jam enim, si ex nongentis quadraginta quinque annis a Dominica incarnatione subtraxeris annos viginti et unum pontificatus, ad annum reduceris nongentesimum vicesimum quartum.

Hinc colliges a vero abiisse Ughellum (4), dum Vercellensi Ecclesie anno nongentesimo vicesimo quinto præfuisse Norgandum asseruit.

IV. Eidem Norgando proxime successisse Attonem, Ragemberto ad sæculum duodecimum misso, auctor est Joannes Stephanus Ferrerius, Vercellarum et ipse episcopus (5), antecessoris sui Bononii Tabellam (6) prosecutus, quibus novissime accessit clarissimus Iricus in Historia Tridinensi.

His opponimus antiquissimum Necrologium, nostrum, ubi de Norgando legimus : v *Kal. Mart. obiit venerandæ memoriæ Norgandus hujus Ecclesie episcopus, qui canonicas ordinavit, et hujus Ecclesie ordines nobilitatis instituit.* Nam præterquam quod verisimile non est, Necrologii scriptorem deplorandæ mortis genus fuisse prætermisurum, si Papiensi incendio periisset Norgandus, haud cohæret dies in Necrologio notata cum die, ad quam Luitprandus cœvus scriptor incendium refert, ad iv scilicet Idus Martii an. 924. Quamobrem recte concluderis, Norgandum nec prædicto

(2) Vid. Frodoad. in Chron., et Luitprand. Hist. ib. III, cap. et seqq.

(3) Asservantur hæc in archivio nostro, eorumque exemplar referemus num. 8.

(4) In Ital. sacr.

(5) In D. Euseb., et ejus successor. Vita Romæ edita 1602.

(6) Adject. ad Collectan. edita de S. Eusebio.

(7) In fine hujus codicis hi etiam versus leguntur.

Atto, tibi præsumi, ternos ego confero libros,

Eusebi martyr, suscipe vota, rogo.

Primus habet glossas: psalmos pertractat et alter :

Tertius officium disserit omne Patrum.

Nec credant hoc me tibi solum tradere donum.

Ecclesias quique exspoliare solent.

Quod si intestatum moriens quid forte relinquam :

Ecclesie proprium istius esse volo.

Prædia sic maneant : sic sint et cætera cuncta ;

Occasio prævis nec detur ulla viris

extinctum incendio, nec successorem propterea habuisse Attonem eodem incendii anno sacris decoratum infulis.

V. Longe graviora sunt in hanc rem monumenta duo, quibus aperte conficitur, Ragembartum proximis ante Attonem annis Ecclesiam rexisse Vercellensem ; quæque eo lubentius proferre aggredimur, quod erudito cuique optanda merito videantur.

Primum est epistola formata quam ex antiquo archivii nostri codice sign. num. 53, Canonum collectionem una cum aliquot Attonis, opusculis complectente desumpsimus, quamque et sæculo decimo scriptam, et Attonis ipsius jussu eum in codicem relatum, suadet forma characterum sæculum ipsum sapiens, et cum Attonianorum operum characteribus prorsus eadem (7), En præclarissimi exemplar monumenti ex autographo ad amussim exaratum :

« *Incipit epistola, quam mos Latinus formatam appellat, a sanctis Patribus in Nicæna synodo constituta.*

« In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

I

« ПФЧРНАК (8) Mille xxx

« Reverentissimo, omnique sacra veneratione colendo Patri Andreæ sanctæ Mediolanensis Ecclesie archiepiscopo, Ragembertus sanctæ Vercellensis Ecclesie humilis episcopus, præsentem, et æternam in Domino felicitatem. Quia sacris apicibus vestris Walfredum Ecclesie nostræ subdiaconum vobis consecrandum Ecclesie Eporrediensi ad votum cleri et populi præsulem expetistis : nefas a nobis aliquid sanctis petitionibus vestris denegari existimantes, juxta amorem, et reverentiam canonicæ definitionis, usque ad gradum subdiaconii nostrorum prædecessorum sollicitudine promotum, paternitati vestræ ad episcopalem cathedram, Domino adminiculante, concedimus promovendum. Ne ergo de ipsius transacta conversatione, sive præsentem concessionem quidpiam almitati vestræ necesse sit ambigere, præsentibus humilitatis nostræ litteris eum prosecuti, sumus ; quibus illum in sacrosancta religione, in quantum audivimus, et cognovimus, atque humana fragilitas existimare sufficit, hactenus conversatum fuisse testificamur, eumque ad id ministerium pera-

Si quis forte rapax partem subdixerit ullam,

Sentiet hinc pœnas, Tartareumque locum.

Alter erit Judas) Dathan erit alter Abyron,

Exspoliat si quis templa divina bonis.

D

I

(8) Numerus hic mille xxx nigriori atramento, diversisque aliquanto characteribus, charta insuper aliquanto super abrasa, scriptus legitur, ubi forte rectiori supputatione legebatur MLXVII, Cum enim in epistola numerus per litteras expressus in summam ductus ipsis litteris consequenter adjunctus innuatur ; ibi numerum MLXVII primo legi debuisse jure suspicamur, cum et ibi locus, ubi extiterit, appareat, et revera ex hisce litteris, adjuncta littera Z. sive numero indictionis septimæ, hic numerus conflatur. Vel saltem, dempto indictionis numero, legendum esset MXXXX : scilicet abrasi fuere duo numeri xx ; revera enim numerus quinquageuarius non semper signo L, sed quinque x in nostris hisce codicibus expressus visitur.

gendum satis profitemur idoneum. De cujus etiam A commendatione, ut omnis ambiguitas abstergatur, Græca elementa cum proprii supputatione numeri dignum duximus inserenda: Patris scilicet, et Filii, et Spiritus sancti primas: Petri apostoli primam litteram: nominis quoque nostri primam: vestri secundam: fratris proficiscentis tertiam: civitatis nostræ quartam: quarum numerus in summam

ductus, ipsis habetur litteris consequenter adjunctus Sed et numerum præsentis indictionis eidem supputationi, sicut ratio dictat, credidimus adjiciendum. Addidimus præterea nonagenarium (9) et nonum numeros, quibus divini figura jurisjurandi sine dubio patenter exprimitur: ΑΩ-ΧΗΝ. ΧCVIII. Data il data- rum. Anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi nongentesimo quarto, indic. VII. »

alfa.	bets.	gamma.	delta.	eta.	episimon.	zeta.	eta.	theta.
a A ^b	B	g Γ	d Δ	e Ε	ς Z	e H	th Θ	
I.	II.	III.	III.	V.	VI.	VII.	VIII.	VIII.
mia.	dia.	tria.	tessera.	penia.	exsa.	ebda.	ocda.	nia.

iota.	kappa.	lauta.	mV.	nV.	xi.	o.	pi.	kose.	ro.
i I	k K	l Λ	m M	n N	x Ξ	o O	p Π	q Ϟ	r P
X.	XX.	XXX.	XL.	L.	LX.	LXX.	LXXX.	XC.	C.
deca.	heccusi.	trinta.	serenta.	pententa.	exenta.	epdenta.	ocdenta.	minenta.	ehsbatoe.

sigma.	tau.	v	hi.	chi.	psi.	o long.	ennacose.
f C ^t	T ^y	Y ^f	Φ	chi X	psi Ψ	o Ω	Ϟ
CC.	CCC.	CCCC.	D.	DC.	DCC.	DCCC.	DCCCC.
diacusin.	triacusin.	tetracusin.	pentacusin.	exacusin.	eptacusin.	ocdacusin.	niacusin.
							chile. i. mille.

Jam vero Andream hunc Mediolanensium archi- præsu-lem circa finem decimi sæculi vixisse, colligi videtur ex charta apud Muratorium (10), in qua legitur: Anno Incarnationis Domini nongentesimo nonagesimo sexto, pontificatus vero supra taxati domni Andree archiepiscopi sexto, mense Julio, indictione octava.

At enim audiendus est idem Muratorius in Annal. Ital. ad hunc annum: « Ma senza fallo, inquit, si dee scrivere, nongentesimo quinto, perche in questo correva l' anno sesto d'esso Andrea, eletto arcives-

(9) Ita legendum duximus, ubi minus legere licuit in autographo. Numerus enim hic nonagesimus nonus adjici solebat, et per Hebraicam vocem αμην græcis litteris expressam significabatur α enim 1, υ 40, η 8, υ vero 50 numeros innuebant, qui simul

B covo nell' anno 900; e nel Luglio di questo medesimo anno correva l' indixione ottava. Più corretto è l'altro consistente in un placito tenuto dal medesimo arcivescovo in Belano sul lago di Como, e da Ralfredo giudice del sacro palazzo, amendue missi domni imperatoris, e scritto: Anno imperii domni Illudovici imperatoris quinto, mense Julio, indictione octava. » His adde ex Ughello (11) eodem tempore Eporredix episcopum fuisse Walfridum, seu Walfredum prædictum.

Habes hinc primis decimi sæculi lustris Ecclesie

numerum 99 componunt. Vid. Cabassutum ad bas litteras, et conciliorum Historiam, ad Nicænum. Vide Acta Concil. t. V, ad hasce litteras.

(10) In Antiquit. Ital., dissert. 14.

(11) In Italia sacra.

Mediolanensi præfuisse Andream, Eporediensi Walfridum, Vercellensi vero Ragembertum.

■ VI. Age vero, alterum in eadem rem proferatur gravissimum monumentum, quod de codice Veronensis Ecclesiæ repetimus, signat. num. 62: sicque habet:

Exemplar privilegii, quod dominus Anastasius papa concessit Ragemberto sanctæ Vercellensis Ecclesiæ episcopo.

ANASTASIUS episcopus servus servorum Dei, reverentissimo, et sanctissimo RAGEMBERTO sanctæ Vercellensis Ecclesiæ episcopo, diebus vitæ suæ tantummodo.

Si pastores ovium sole geluque, etc. *Reliqua vide in Anastasio papa III.*

Porro etsi hisce pontificiis litteris inscriptus annus non sit, tribuanturque Anastasio, quin exprimatur quisnam fuerit ex quatuor, qui hoc nomine censi sunt, summi pontifices ex indictione tamen xv, facile colligimus eas ad Anastasium tertium pertinere, ac referendas esse ad annum nongentesimum decimum secundum. Ut enim prætereamus Anastasium primum, qui juxta clarissimum Murator. (12) creatus pontifex fuit anno tercentesimo nongentesimo octavo, indictione undecima, vitæque est functus anno quadringentesimo primo, mense Decembri, indictione quarta decima, utque nihil etiam dicamus de Anastasio secundo, qui ab anno quadringentesimo nonagesimo sexto, indictione quarta, ad annum usque 498, cum sexta curreret indictio, Ecclesiæ præfuit; Anastasius certe quartus anno 1153, indictione prima, ad summum pontificatum eVectus ad secundam tantum indictionem pervenit, quo tempore alium non fuisse Vercellarum episcopum, quam Ugutionem multa et gravissima confirmant argumenta. Hunc enim ex archidiacono Bergomensi, episcopum Vercellensem, Gisulpho in episcopatu successisse, auctor est prælaudatus Joannes Stephanus Ferrerius. Ex Ughello autem discimus contigisse hoc anno 1150 (licet in hoc dissentiat Ughellus, quod non Gisulpho proxime successisse Ugutionem minus recte affirmat. Eum vero ab anno 1152 usque ad 1170 huic Ecclesiæ præfuisse probant, sententia ab eo inter canonicos sancti Eusebii, et sanctæ Mariæ, lata nono Kalendas Augusti 1152, rog. Gandolphus, ex lab. nostro capit., diploma Friderici imperatoris eodem anno, et indictione decima quinta datum, cujus exemplar hic in parte præbemus:

« In nomine sanctæ, et individue Trinitatis. Federicus Dei gratia Romanorum rex Augustus. Quia Romani imperii regimen, potestatemque suscepimus, Ecclesiis a nostris prædecessoribus plurima largitione sublimatis, erga nos competit provisione consulere, et ne ipsarum possessiones aliqua distractione depereant, suffragium sufficiens adhibere. Præsentibus igitur, ac futuris Christifidelibus volumus esse cognitum, quod petitione Domini papæ Eugenii tertii, et intercedente charissimo cancellario nostro Arnolde, aliisque principalibus regni principibus, venerabilem Vercellensem episcopum Ugutionem, atque ecclesiam sancti Eusebii in regiam

A protectionem suscepimus, et præsentis privilegii pagina commuimus. Quæcunque ergo memoratæ ecclesiæ largitione regum, concessione pontificum, ita quorumlibet oblatione fidelium collata esse noscuntur, et quæ in posterum, largiente Domino, conferentur, confirmamus, etc.

« Præterea concessiones, commutationes, alienationes, distractiones ab invasoribus sancti Eusebii factas, qui pontificalem benedictionem non obtinuerunt, videlicet, a Gregorio de Verucha, Liprando, Evarado, Ardicione, in irritum ducimus, et regia auctoritate cassamus. Quemadmodum et patronus, atque antecessor noster Conradus Romanorum rex ipsa cassavit, investituram suamque ab Anselmo Vercellensi episcopo contra voluntatem suæ Ecclesiæ occulte, et irrationabiliter factam de Clavasiolo, atque investituram a Gisulpho eidem Ecclesiæ episcopo contra juramentum quod fecerat, et contra interdictum Domini papæ Eugenii tertii ipse eas se non fecisse confessus est de pedagio, et nauo Salugiæ factas, et alias quæcunque probare potuerint, atque omnes alias investituras in ecclesia sancti Eusebii ab episcopis furtive occulte factas, omnino cassamus, et in posterum ne fiant sub pœna centum librarum auri regia auctoritate interdiciamus, etc.

« Ita præscriptionem quoque centum annorum tam episcopis Vercellensibus quam ecclesiæ sancti Eusebii et sanctæ Mariæ concedimus in perpetuum.

Item testes fuerunt præsentibus, quorum nomina subscripta cernuntur: Hartunicus Bremensis archiepiscopus, Ghebaardus Vitemburgensis episcopus. Henselmus Abelpergen. episcopus, dux Velfho, Henricus dux Saxonie, Cunradus, Albertus marchiones de Saxonie, Guido comes de Blanderada.

« Signum Domini Federici Romanorum regis invictissimi. Ego Arnoldus cancellarius vice Henrici Maguntini archiepiscopi et archicancellarii recognovi.

« Datum Vitemburgi xvi Kalendas Novembris, anno Dominicæ incarnationis 1152, indictione xv, regnante domino Federico Romanorum rege gloriosissimo, anno vero regni ejus primo feliciter. »

Usque ad annum autem 1170 in episcopatu mansisse Ugutio probatur, tum ex ejusdem donatione canonicis sancti Eusebii facta utriusque Montanarii et decimarum Roasii, et Roaxendæ an. 1155, ex tabul. nost. ; tum ex cessione ecclesiæ suæ nomine facta jurium ad ipsam pertinentium super Castro, et Agro Tridinensi, Guillelmo Montisferrati marchioni eodem anno data. quam clarissimus Iricus in Hist. Tridin. fol. 28 profert; tum ex translatione Bugellæ de Valle in Montem, qui Platium appellatur de qua diplomata anno 1160 datum in tabul. Bugellen. commun. existit; tum denique ex cessione episcopatus facta domino Wale præposito et canonico sancti Eusebii duodec. Kal. Septemb. anni 1170 rog. Otto not. sac palatii ex tabul. nostro. Sed plura jam quam oporteat. Restat igitur ut pontificias litteras de quibus agitur Anastasio tertio vindicemus, et concludamus anno 912 Ragembertum Vercellarum episcopum fuisse.

VII. Quam porro caliginosis temporibus Deus optimus maximus Attonem nobis quasi lucidissimum sidus miserit, norunt quotquot ævi illius historiam

(12) In Annal. Ita.

perlustrarunt. Barbari nempe Italiam undequaque vastantes alique alios ex occupatis sedibus vi depellentes, et sæpe iterum pulsati, humana omnia, et divina susdeque verterant; pessundatæ liberales artes, perturbata religio, rerum omnium summa invecta calamitas; atque hæc omnia præ cæteris mala experiebantur Vercellenses, euntium, et redeuntium, inter seseque de præda pugnantium barbarorum itineri admodum obnoxii.

Quales etiam solerent ea ætate Ecclesiis præfici episcopi, ut alios prætermittam, refert Muratorius (13): « Si rifiutavano i meritevoli eletti (*pastores scilicet*) e conveniva prender i prediletti da loro (*videlicet a principibus*) ancorché indegni, non considerando essi merito del sapere, e della bontà de' costumi, ma solamente de ricchezze, il parentado, ed i servigii. E se non vendevano le Chiese per danaro, le davano nondimeno in pagamento della servitù prestata da essi, o da lor parenti alla corte: pero si vedevano fanciulli alzati al vescovato, e si obbligava il popolo a dar testimonianze favorevoli a questi sbarbatelli, che appena aveano imparato a memoria qualche articolo della fede, per potere rispondere, benché tremando, all' esame: il quale era tuttavia in uso piuttosto per formalità, che per chiarire la scienza d'essi. Ed ecco qual fosse in questi tempi lo stato miserabile delle Chiese d'Italia.» Cui adde etiam Attonis ipsius ea de calamitate testimonium in tractatu *De pressuris ecclesiasticis*.

Enimvero qui Ecclesiæ nunquam de futuro se sponderat Christus Dominus, jam veluti cum cæteris rebus omnibus collapsæ religioni egregium excitavit reparatorem Attonem, qui ex episcopali cathedra, tanquam e sublimi loco, diffusa pietatis, et ecclesiasticæ doctrinæ splendentissima luce, Vercellensibus primum, tum finitimis etiam populis ac universæ resplenduit Ecclesiæ, et qua remedium ferre gravissima poterant mala, summa vigilantia, atque indefessis attulit viribus. Huc pertinet ejus in visitanda sigulis annis diœcesi sollicitudo; huc eximium illud ab eo editum Capitulare ad cleri populique reformationem, atque ad ecclesiasticam disciplinam, veluti postliminio revocandam: huc sacræ conciones ad gregem frequenter habitæ, quibus ad Evangelii normam institueretur; huc epistolæ, plurimæ, vel aliis episcopis, vel ecclesiasticis viris, vel clero, vel populo suo incriptæ: huc cætera omnia ipsius scripta, factaque præsulem doctrina, et religionis zelo insigne ubique referentia.

VIII. Prætermittendum hoc loco non est præclarum Christianæ liberalitatis exemplum, quo episcopus præstantissimus non jam moriens, dum nempe quæ retinere amplius non licet, fucata munificentia largimur, sed diu adhuc vivendi spe fretus, canonicos suo segregia cumulavit donatione. Nam frequen-

tissimis hostium incursionibus ad eas rerum angustias adducti illi fuerant, ut cum nec præsto esset quo vel tenuissime alerentur, officium [cogerentur] abjicere. Id intelligens Atto, prædia ipsis, possessionesque liberalissime cessit, ut pulsa nempe necessitudine, omnem ad divina cogitationem converterent. En chirographi donationis exemplar:

« In nomine sanctæ et individue Trinitatis. Atto divinæ miserationis munere sanctæ Vercellensis Ecclesiæ humilis episcopus. Quotiescunque indigentibus, Deoq antibusue famul pro, eorum scilicet calamitate proclamantibus, consulimus, eos liberius Deo famulari, ac pro nobis, et benefactoribus nostris promptius orare, nullatenus diffidimus, ideoque noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium presentium scilicet, ac futurorum industria, sanctæ Dei genitricis Mariæ semper virginis, seu beati martyris Eusebii canonicos sub nostro regimine degentes nostram petisse mercedem, quippe cum essent, Deo annuente, numero triginta, sumptum minime sufficientem habentes, quo subsistere possent, atque divinum officium in jam præfatis ecclesiis debite persolvere, precati sunt, quatenus aut eundem numerum minuere, aut auxilium hujusmodi tribuere dignaremur. Nos ergo talibus permoti clamoribus curticellam unam constitutam in Montanario pertinentem de curte quondam regia, quæ fuit Vercellis, quam nobis nostræque Ecclesiæ domini et serenissimi reges per præcepti paginam Ugo et Lotharius concesserunt cum omnibus suis adjacentiis ac familiis utriusque sexus eis concessimus, ut de ejus frugibus seu reliquo reddito ad nos pertinentibus alimenta habeant; ita tamen ut fruges jam dictæ curticellæ non per singulos dividant, sed de ipsis communiter annue sibi refectionem in statuto loco eorum canonicæ præparent. Nam cum Dominica dicitur voce: *Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, multo magis inter tot fratres laudes Deo de ejusdem beneficiis simul referentes, et de divino mysterio seu profectu animæ, corporisque tam suorum, quamque benefactorum simul meditates presentem esse minime diffidimus. His denique taliter perfectis, ne in posterum super hanc nostræ concessionis paginam aliqua insurgeret ambiguitas, ut liberius Deum laudare, ac pro nostrorum seniorum dominorum regum, Ugonis et Lotharii, atque nostra salute sedule exorare valeant, hæc omnia scriptis tradi per Vercellinum presbyterum ad vicem Eistulfi nostræ Ecclesiæ cancellarii jussimus. Subter manu propria confirmantes. Anno incarnationis Dominicæ 945 pontificatus autem nostri XXI, indictione III. In Dei nomine. Actum Vercellis feliciter.

« Atto gratia Dei episcopus a me facto subscripsi

« Petrus judex domnorum regum. not. subscr.

« Cunibertus judex domnorum regum not. subscr.

« Odelricus judex not. me teste subscr.

(13) In Annal. Ital. ad an. 958.

- « Aværicus notarius rogatus subscr.
- « Judex domnorum regum not. subsc.
- « Giselbertus not. reg. subscr.
- « Ragembertus ut supra rog. subsc.
- « Vercellinus presbyter, ut supra scripsi, et sub-
[scripsi.] »

IX. Cum vero multa apud principes eorumque ad-
ministratos gratia polleret, ea non ad propriam di-
gnitatem amplificandam augendamque in subditos
auctoritatem, quod nonnunquam accidit, sed in
cleri Ecclesiæque tutelam usus in primis fuit; quam
obrem egregiis donationibus auctam Ecclesiam
nostram illis temporibus, certis accepimus docu-
mentis. En unum, quod regum Hugonis et Lotharii
donationem continet.

« In nomine sanctæ et individue Trinitatis. Hugo et Lotharius divina providente clementia reges. Si sanctis ac venerabilibus locis divino cultui mancipatis more bonorum Christianorum devotissime contulerimus nostri muneris suffragia, certissime credimus nos nostrumque regnum intercessionibus sanctorum cœlesti juvamine semper sublevari, atque divinis beneficiis sublimari, Quocirca noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium ac nostrorum præsentium scilicet atque futurorum devotio Berengarium nostri fidelem dilectum illustremque marchionem nostram monuisse clementiam, ut pro amore Dei omnipotentis sanctique Eusebii, qui prædicando fidem catholicam palmam martyrii est decantissime consecutus, canonicis Vercellensis Ecclesiæ, cui venerabilis Atto præesse videtur episcopus, alveos fluminum Sicidæ et Sarvi largiremur. Hanc petitionem satis omnibus pene principibus hujus regni ratam suscipientes, per præceptum nostræ auctoritatis alveos prædictorum fluminum canonicorum Vercellensium dominio, prout juste et legaliter possumus, præsentialiter concedimus, sicuti posita sunt capita briulæ, usque ad ripam quæ est juxta capellam sancti Columbani, intra hos fines decurrentia flumina cum insulis et suis ripis nobis pertinentibus prædictis canonicis sancti Eusebii ut dictum est, largimur, proinde ut piscationes naviumque redhibitiones atque riparum eorum usui famulentur. Insuper etiam confirmamus Vercellinos portus per hoc præceptum, veluti prædecessores nostri pro amore ordinaverunt ad usum luminaris ecclesiæ sancti Eusebii, in qua sacratissimum ejus corpus requiescit, et ad indumenta clericorum ibique jugiter famulantium. Si quis igitur hujus nostri præcepti statutum aliquando quomodocunque instigante diabolo infringere conatus fuerit, sciat se compositurum auri optimi libras mille, medietatem cameræ nostræ, et medietatem ecclesiæ sancti Eusebii, suisque clericis, qui inibi pro tempore fuerint. Et ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manibus propriis roborantes, anulo nostro insigniri jussimus.

« Signa serenissimorum Hugonis et Lotharii regum, Geseprandus episcopus et cancellarius ad vicem Bosonis episcopi et archicancellarii recognovi et subscripsi.

« Data Idus Augustas, anno Dominicæ incarnationis 945, regni vero domni Hugonis xx, Lotharii xv, indictione II. Datum Papiæ feliciter Aman. »

X. Plurima etiam Attonis gratia canonicis Parmensibus donasse Lotharium probat Muratorius Antiq. Italic. dissert. 66. ex diplomate dato xvii Kal. Julii

A anno Dominicæ incarnationis 948, regni autem Lotharii piissimi regis xvii, indictione vii (*sexta* optime observat legendum cl. Murat.)

XI. Qua sollicitudine clericis sui Ecclesiisque tum suæ tum Parmensi prospexerat Atto, eandem testamentum condens etiam Mediolanensibus adhibuit, cujus exemplar habeto:

« In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Lotharius gratia Dei rex, anno regni ejus octavo decimo, mense Augusti, indictione sexta (14). Dum in statu sanitatis humanæ vitæ cursum peragitur, et pleno animo mentis ratio vegetatur sic debet homo semper cogitare, atque disponere de suis propriis rebus pro animæ suæ mercede, quæ sunt futura, atque mansura, ut cum eum Dominus de hoc sæculo vocari jussorit, non de negligentis judicetur, sed de bono disposito congratuletur, ut et pius. Igitur ego in Dei nomine Atto episcopus sanctæ Vercellensis Ecclesiæ qui professus sum ex natione mea, lege vivere Longohardorum, præsens præsentibus dixi: Vita et mors in manu Dei est, melius est homini metu mortis vivere, quam spe vivendi morte subitanea præveniri, considerante me de Dei omnipotentis misericordia; et de mercede et remedio animæ meæ, ut aliquantis rebus et familiis meis post meum decessum inordinatis non reliquisset, sed sic firmum et stabilitum permansisset, qualiter ego hic subter per singula capitula ordinassem et judicassem. Igitur volo et judico, atque instituo, seu per hoc meum testamentum pro animæ meæ mercede confirmo, ut valles illæ Bellenica et Lebentina, quas habere et detinere proprietario nomine videor, statim post meum, et Aupertii germani mei decessum, deveniant in jure et potestate sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, et presbyterorum, seu diaconorum cardinalium, atque sacerdotum decumanorum, qui in eadem civitate pro tempore fuerint, cum omni suarum pertinentia, tam cortes, domus, coltilis, quam castellas, capellas, molendines, piscationes cum terris, vineis, pratis, pascuis, silvis ac stablareis, ripis, rupinis ac paludibus, coltilis et incoltilis, montibus, alpebus, planiciebus, aldiones, vel aldionas, servos, et ancillas, omnia, et ex omnibus, quantum in prænominatas valles Bellenica et Lebentina habere viso sum, vel mihi inibi legibus pertinent, ad habendum totum in integrum, eo videlicet ordine, ut omne censum, vel redditum, quod de prædictas valles, annue Dominus dederit, seu quid quid exinde pervenerit per omne annum, in primo die lunæ, in initio Quadragesimæ, ipsi sacerdotes et levitas inter se dividant, ita ut ordinarii unusquisque duplum exinde accipiant, quantum unus ex decumanis insuper et archipresbyter, archidiaconus cardinalis ipsius urbis, dupliciter exinde habeat, quam unus ex aliis ordinarii acceperit,

(14) Anno igitur 948.

« Item primicerius decumanorum dupliciter exinde
 « habeat, quam unus ex cæteris decumanis, id est
 « tantum, quantum unus ordinarius, ut omnes ipsi
 « sacerdotes et diacones pro remedio animæ meæ
 « Dei omnipotentis misericordiam exorare festi-
 « nent, qualiter exinde Deum habeant retributorem,
 « nam nullo in tempore habeant licentiam de præ-
 « dictis rebus et familiis aliquid alienare nec com-
 « mutare, seu liberario aut tintheochario nomine
 « contrahere, sed ad eorum usum habere et deti-
 « nere, ut supra scriptum est, debeant et faciant ex
 « frugibus earum rerum censum vel redditum, ut
 « supra scriptum est, atque de servilio ipsarum fa-
 « miliis, atque quidquid ex meo pervenerit, omni
 « tempore secundum quod supra statui, quidquid
 « voluerint, sine omni mea, hæredumque meorum
 « contradictione, nam dum in hoc sæculo aliquid de
 « ex nobis istis germanis advixerit, usufructum
 « tantummodo ipsarum rerum in mea, vel prædicti
 « germani mei, si me supervixerit, reservo potesta-
 « tem, eo ordine ut pro ipso usufructu, ego vel
 « prædictus germanus meus, si me supervixerit, per
 « singulos annos persolvere debeamus præscriptis
 « sacerdotibus et levitis in eo ordine in isto consti-
 « tuto, id est, die lunæ primo Quadragesimæ, ar-
 « genti denarum boni solidos quadraginta inter se,
 « ut supra dictum est, dividendos, quod si adim-
 « plere distulerimus, tunc potestatem habeant præ-
 « dicti sacerdotes et diacones, infra ipsas res in-
 « troire, et se exinde investire, et eas detinere,
 « quemadmodum post obitum nostrum superius fieri
 « institui, ut mihi et parentibus meis proficiat ad
 « animæ salutem, et gaudium sempiternum, et hoc
 « ita volo, ut nullo in tempore pontifex ejusdem
 « sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ habeat licentiam
 « ipsorum sacerdotum et levitarum de ipsis rebus et
 « familiis aliqua facere contrarietate, aut ulla in-
 « ferre violentia, sed liceat eos rebus ipsis et fami-
 « liis quiete et pacifice habere et detinere, eo vide-
 « licet ordine, sicut supra statui et judicavi pro
 « mercede et remedio animæ meæ, et pro honore epi-
 « scopii mei, nec mihi liceat ullo tempore nolle
 « quod volui, sed quod ad me semel factum, vel con-
 « scriptum est, sub jusjurandum inviolabiliter con-
 « servare promitto, cum stipulatione subannexa,
 « hanc enim chartulam judicati, et ordinationis An-
 « selmo notario, et judici domini regis tradidi, et
 « scribere rogavi, in qua subter confirmans, te-
 « stibusque obtuli roborandam. Actum civitate Me-
 « diolani.

« Atto Dei gratia episcopus a me facto subscripsi.
 « Aupertus germanus ejusdem domini Attonis sub-
 « scripsi.

« Angelbertus judex domini regis rogatus sub-
 « scripsi.

« Signum manibus Natalis et Aufredi, qui pro-
 « fessi sunt lege vivere Romana, testes.

« Bertericus judex domini regis rogatus ab isto
 « Attone episcopo testis subscripsi.

A « Gumbertus judex domini regis rogatus testis
 « subscripsi.

« Rodolphus judex domini regis rogatus subscri-
 « psi.

« Joannes judex domini regis rogatus subscri-
 « psi.

« Anselmus judex domini regis rogatus testis
 « subscripsi.

« Arialduus rogatus subscripsi.

« Luitprandus rogatus subscripsi.

« Daibertus judex domini regis rogatus subscrip-
 « psi.

« Henricus rogatus subscripsi.

« Ego Anselmus notarius et judex domini regis
 « scripsi post traditam complevi, et dedi. »

B XII. Attonem placito Papiæ ab Hugone rege ha-
 bito una cum Raterio Eporrediensi episcopo inter-
 fuisse ex eomet placito colligimus, quod refert Mu-
 rator. Antiquit. Italic. dissert. 31, et legitur datum
 « regni domini Hugonis, et Lothario filio ejus, gratia
 Dei reges, Deo propitio D. Hugoni decimo, Lotharii
 vero v, xiv. Kal. Octobris, indict. ix, hoc est anno
 935. »

Eum etiam ex quadam charta, quam refert
 Ughellus in episcopis Astensibus, regii archicancel-
 larii titulo, et officio ab Hugone et Lothario, quo-
 rum, ut supra demonstravimus, gratia summopere
 pollebat, decoratum fuisse, jure optimo suspicamus.
 In ea enim donationem a dictis regibus Astensi Ec-
 clesiæ factam referente ita legimus : « Dat. x Kal.
 Augusti, anno Incarnationis Dominicæ 938, anno
 domini Hugonis piissimi regis XIII, Lotharii VIII, in-
 dictione XI. Actum Papiæ feliciter. Amen. Gispran-
 dus cancellarius ad vicem Attonis episcopi et ar-
 chicancellarii recognovit. » Quidni Atto noster hic
 sit?

C XIII. Ad annum usque 960 vixisse Attonem
 litteris tradiderunt nonnulli : at ne certam iis adhi-
 beamus fidem, facit, quod nullo docuerunt monu-
 mento. Nobis hoc unum constat, Ingonem proximum
 Attonis in episcopatu successorem anno 964 Ecclesiæ
 nostræ jam præfuisse. Nam eo anno synodum convo-
 casse Ingonem, sequens fragmentum ex vetusto ta-
 bularii nostri codice descriptum monstrat.

D « Anno incarnationis Dominicæ 964, indictione
 septima, Nonis Novembris, resedit dominus Ingo
 episcopus, ut moris esse priscorum Patrum cognos-
 citur suorum, Vercellis ante altare beatissimi Euse-
 bii martyris Christi, causa synodalis concilii, in quo,
 divino compulsus amore, pene omnes clericos suo
 regimini subjectos decentissime docuit, maxime de
 fidei et charitatis observatione, ut canonica toto
 orbe tenet institutio. Præterea summo quæsit studio,
 ut res ecclesiasticæ pie regerentur et destitutæ
 restaurarentur. Insuper admonitione suorum cleri-
 corum sancivit ut antiquus exigit usus, pessima
 Ungrorum incursione vastatus, Ecclesiæ cardinales
 debitum præberent baptisterio hac in civitate cele-
 brato decenter obsequium, ita ut ipsis ex ecclesiis
 quæ sunt constitutæ in villis, videlicet, Petiana,
 Petreriolo, Quinto, Calviniasco, Casale, atque Au-
 zeningo, presbyteri veniant sic expediti suis vesti-
 mentis, qui hic Vercellis pueros valeant baptismatis

tingere aqua. Et ne intentio (*legendum forte contentio*) oriretur inde, subjunxit: Placet nobis et rectum videtur, ut duo tantum presbyteri de præfatis ecclesiis studiose veniant ad hoc mysterium parandum, id est, de Petiana et Petroriolo simul duo:

A de Quinto et Calviniasco, de Casale, et Auzeningo simili statuimus ratione, quousque vicissim vices impleant suas, et implere annuatim iterum inchoent. »

DE ATTONIS OPERIBUS.

XIV. De Attone hactenus, jam de ipsius operibus. Quanto hæc in pretio semper habuerint eruditi, quotquot illa noverunt, quibusque votis exoptarint, ut e scriniis eruta in publicam proferrentur lucem; qua demum applausu sint excepta, cum clarissimi d'Acherii studio, licet nec omnia, nec integra prodierint, vix dici potest. Legantur quæ habet Natalis Alexander *Histor. Eccles. tom. II, fol. 338, edit. Paris. anni 1743.* Adeantur etiam Pagius ad annum 960, Fleurius in *Histor. Eccles. tom. XII, lib. LV, § 54*; Gulielmus Cave *Histor. litter. tom. II, pag. 99, edit. Basil.*; Dupin *Histor. Eccles. vol. VIII, pag. 26*; Racine *tom. IV, pag. 109, edit. Ultraject.*, articl. 6, § 4; Murator., ad an. 958 et 959 *Annal. Ital.*

XV. Attonis Opera recensere aggressus Joannes Stephanus Ferrerius *supracit. (15).* Sermones primum posuit, tum epistolas, dein Polypticum, sive Perpendicularum, inde Canones, seu Capitulare, postremo tractatum De pressuris ecclesiasticis. Atque eadem passim magna cum laude memorant quotquot fere de ecclesiasticis rebus Historiam texere hactenus instituerunt.

Opportunum tamen accidit legentium oculis hoc loco subjicere quæ de eorumdem numero et fortuna refert Auctor supplementi ad Bellarminum.

« Attonis opera, inquit, vir clarissimus Joannes Bono generalis abbas reformatæ congregationis sancti Bernardi, seu Pulientium in Italia (Pedemontanus scilicet, qui fuit postea S. R. E. cardinalis) ex manuscripto codice Vaticano num. 4322. eruit, describi curavit Romæ anno 1664, atque ad Lucam d'Acherium monachum Benedictinum transmisit, qui ea inseruit tomo VIII. a pag. 1 ad 138 *Spicilegii sui.* Et sunt: Capitulare, seu Capitula Attonis episcopi; Liber de pressuris ecclesiasticis; atque epistolæ variæ. In iisdem autem codicibus, tam Vaticano quam Vercellensi, erant præterea sermones septemdecim de diversis argumentis, et Polypticum, quem Perpendicularum appellat, quo noxa redarguere et honesta sancire decet, cum scholiis; sed quia vix legi possunt, ideo transcripti non sunt. Est autem dolendum quod manuscriptus codex Vaticanus lacunæ pluribus in foliis laboret, inde integer omnino sanusque haberi non potuit, nec sanari etiam collatione manuscripti codicis Vercellensis, quem denegarunt canonici. Floruit Atto usque ad annum 960 et ultra, » etc.

His cohærent quæ paulo fusiori narratione prosequitur Acherius ipse: « Atto, hoc nomine secundus, » etc. *Vide infra Præfationem Acherii in suam editionem Operum Attonis.*

XVI. Quæ cum ita sint eruditorum notitiam hæc-
(15) Num. 4.

tenus fugit eximium aliud Attonis opus, commentarius videlicet in omnes divi Pauli Epistolas, quem qui legerint, haud hercle poterunt quin magnopere mirentur sæculo cassis ignorantia tenebris involuto virum exstitisse qui tanta sapientia tamque acri judicio summis de argumentis eleganti etiam scripserit stylo. Quam inibi animadvertent Scripturarum peritiam? quam doctrinarum puritatem? quem denique sententiarum delectum? Quid? Quod sanctissimæ religionis dogmata a novatoribus posteriori ætate impetita, veluti de Christi præsentia in Eucharistiæ sacramento, veluti de purgatorio igne, veluti alia multa invictis argumentis confirmata, constanti traditione posteris per hosce commentarios sunt transmissa? Nec illud profecto parvi facient sanioris doctrinæ studiosi, quod Augustinianam de divina gratia sententiam, tanquam illis temporibus probatissimum dogma, rejectis omnibus ad Pelagianismum utcunque declinantibus constanter iis in commentariis assertam invenient.

XVII. Quo fato pretiosissimus hic thesaurus tot sæculis detulerit, haud satis scio: at de Attonis fecundissimo penu profectum fuisse, ita certum habeo quam quod maxime. Nam comparans horum commentariorum stylum cum cæteris Attonis operibus, simillimum ubique invenio. Non raro etiam easdem sententias in commentariis reperio, quas in epistolis et per eadem fere verba expressas. Confer epistolam de obedientia principibus debita ad episcopum Wadonem missam cum expositione capituli XIII Epistolæ ad Romanos.

Præterea in fine Commentariorum hæc leguntur: *Vercellinus diaconus, et Tethbertus subdiaconus jussu domini Attonis scripsimus.* Integer autem Attonianorum Operum Codex, inter alios multos archivii nostri signatus num. 40, ab utroque hoc scriba est exaratus. Idem Vercellinus anno 945 jam in presbyterum consecratus autographum donationis instrumentum scripsit: ac si hujus chartæ characteres inspexeris, eodem jure dices cum characteribus commentariorum, qua parte sunt exarati a Vercellino diacono: ut quemadmodum recte hinc colliges commentaria ante annum 945 a Vercellino adhuc diacono, Tethberto juvante, scripta fuisse, pari momento concluderis eundem et donationis et commentariorum auctorem exstitisse Attonem.

XVIII. Priusquam hoc missum facio, lubet epistolam referre Joseph Blanchini presbyteri, dum vi-

veret, congregationis Oratorii Romani. vindiciis canoniarum scripturarum clarissimi, quam ad eminentissimum virum hinc dedit, postquam hac transiens cathedralis ecclesie inviserat archivium. « Mi sarei fermato in Vercelli quanto abbisognava, se avessi potuto copiare tutto il codice segnato 40 (*Codicem scilicet quem nos edimus*) che è molto interessante per quella illustra Chiesa, e per Attone. Contiene un commentario di esso Attone sopra l'Epistole di san Paolo. Trascrissi questa nota, che sta nel fine del codice. *Explicit Tractatus in Epistola Pauli ad Hebræos. Vercellinus diaconus, et Tesbertus subdiaconus ex jussu domni Attoni episcopi scriptimus. Orate pro nobis, fratres.* Dopo il suddetto vom-

mento vengono vario lettere, e statuti della Chiesa di Vercelli interessanti, eppoi una picciola collezione de' canoni con questo preciso titolo, che io copiai ad verbum: *Capitula canonum exertorum de diversis conciliis, decretotibus, statutis, atque epistolis congruentium ad forense judicium tempore Domini Attoni episcopi* . . . Il signor canonico Fileppi mi die, che voleva fare una edizione delle Opere di Attone, ma, se tarda più a ricopiare i codici, essendo vecchio, io temo, che morrà prima di aver fatto nulla (16). Converrebbe però sollecitarlo a beneficio della republica letteraria, e principalmente a gloria di quella antichissima Chiesa.

(16) Nimis vera fuit prædictio, nam antequam

huic Operi primam manum apponeret, fato cessit.

ACHERII PRÆFATIO.

Atto hoc nomine II, *Aldegarii filius* (inquit Ferdinand. Ughellus in Ital. Sacra) *episcopus Vercel. fuit an. 945, doctissimus theologus et canonista, plura sui ingenii doctrinæque monimenta reliquit, quæ continentur in antiquo codice manuscripto, in Vaticana bibliotheca, ac Vercellensi archivio,* » etc. « *Canones rursus, statutaque Vercel. Ecclesie, eruta e conciliis epistolisque decretatibus, quod opus in 100 capita apte distinxit. Item de Pressuris ecclesiasticis opus in tres partes divisum, quarum prima est de Judiciis episcoporum, secunda de Ordinationibus eorumdem, tertia de Facultatibus Ecclesiarum. Hujus temporibus Ugo et Lotharius reges Vercellensem Ecclesiam exornarunt,* etc.

Attonis Opera vir clarissimus Joannes Bona abbas generalis reformatæ congregationis S. Bernardi ex ms. codice Vaticano, num. 4322, eruit, describi curavit Romæ an. 1664, atque ad me transmisit. Sed dolendum maximopere est quod lacunis codex ipse pluribus in locis fœdatus, nempe in superiori parte ista, vel pluvia infectus, seu carie corrosus, fuerit repertus, ut in unaquaque pagina desit linea. Spem tamen mihi suis litteris dans eruditissimus abbas integrum habendi codicem asseruit, quod jam apud doctissimum Ughellum, in Italia sacra (*tom. IV, col. 2 pag. 1060*), legeram exstare in tabulario Vercellensis Ecclesie, rogavitque ea de re episcopum Vercellensem ageret cum canonicis ut illa Opera exscribi sinerent. At is repulsam passus est. Unde isthoc negotium cum indicassem illustrissimo domino Caroccio tunc in Gallia serenissimi ducis Sabaudie legato, viro religione, prudentia et eruditione præstantissimo, actutum ipse, qui sua me, dum in vivis esset, familiari dignabatur amicitia, omnem curam et Industriam adhibuit, tum per seipsum, tum per amicos Vercellis agentes obtinendo hujusce monumenti apographo, aut saltem opplendis Romani codicis lacunis. Mira primo polliciti sunt canonici; sed post epistolas ultro citroque datas, demum fatentur (ingenue an fecte, judicent alii) in sua Ecclesia esse neminem rei antiquariæ peritum. Non hic stetit illustrissimi Caroccii diligentia et benignitas. Nam cum legatione feliciter peracta rediisset in Sabaudiam, instat iterum, exposcitque ab illis canonicis Taurinum ad se autographum transmittant, bona fide istud se restitutum, postquam suis expensis exscribi curasset.

Equid agerem omni spe subjecta integra tanto potiendi thesauro? Ederem Opera biatibus sensum sæpe interrumpentibus labefactata, an aliis edendis operam darem meam? Anxio mihi adsunt eruditione præstantes amici; aiunt in lucem proferre rebus ecclesiasticis præclara opuscula, etsi nonnullis fœdata lacunis, quam tenebris forsitan perpetuis sinere involvi; aut ne incendio pereant, quam sortem plerisque in locis sustinere multa anterioris ævi monumenta. Postremo adjecerunt rerum antiquarum etiam fragmenta in pretio haberi. Itaque hisce rationibus adductus, illa typis mandari curavi.

Et quandoquidem Atto in rebus divinis et ecclesiast. versatissimus suas lucubrationes testimoniis quasi margaritis e S. Script. e conc. et Eccl. Patribus desumptis adornavit, haudque loca indigitavit, potissimum in Collectione canonum, quam Capitulare inscripsimus, nos haud levem impendimus operam locis quæ designata non erant margini apponendis, eoque labore quamplures supplevimus hiatus.

Sunt et præter ea quæ proferimus, ut scias, lector, Attonis opuscula cum in Vercellensi, tum in Vati-